

consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum.
 4 agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat,
 ni velox ingenio mobili paenitentiae, et ingentes adversus
 5 Germaniam conatus frustra fuissent. divus Claudius auctor
 iterati operis, transvectis legionibus auxiliisque et adsumpto 5
 in partem rerum Vespasiano, quod initium venturae mox
 fortunae fuit: domitae gentes, capti reges et monstratus
 fatis Vespasianus.

14 Consularium primus Aulus Plautius praepositus ac sub-
 inde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque 10
 paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae,
 2 addita insuper veteranorum colonia. quaedam civitates
 Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam
 fidissimus mansit), vetere ac iam pridem recepta populi
 Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et 15
 3 reges. mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis
 admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti
 officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra
 4 annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio
 prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque prae- 20
 sidiis; quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus
 ministrantem adgressus terga occasioni patefecit.

15 Namque absentia legati remoto metu Britanni agitare
 inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando
 accendere: nihil profici patientia nisi ut graviora tamquam 25
 2 ex facili tolerantibus imperentur. singulos sibi olim reges
 fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem,
 procurator in bona saeviret. aequae discordiam praeposito-